HIERONYMUS

Zwettl (Frankreich/Burgund), um 1200 Seite 140r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



et proprias credentibus lacrimas. Venerabilis
uirgo filia eius eustochium quasi ablactata
super matre sua abstrahi non poterat. deoscu-
lari oculos. herere uultui. totum corpus
amplexari. et se cum matre uelle sepeliri.
Testis est ihesus ne unum quidem numum ab ea
filie derelictum. sed ut ante iam dixi dere-
lictum magnum est alienum. et quod ita difficilius
est fratrum et sororum inmensam multitudinem.
quos et sustentare arduum est. et abicere im-
pium est. Quid hac uirtute mirabilius.
feminam nobilissime familie magnis quon-
dam opibus. tanta fide omnia dilargitam.
ut ad egestatem pene ultimam perueniret.
Iactent alii pecunias. et incorbanan dei
era congesta. funalibusque aureis dona pen-
dentia. nemo plus dedit pauperibus. quam que
sibi nichil reliquit. Nunc illa diuitiis
fruitur. et his bonis que nec oculis uidit
nec auris audiuit. nec in cor hominis as-
cenderunt. Nostram uicem dolemus. et inui-
dere potius glorie eius uidebimur. si uolueri-
mus diutius flere regnantem. Secura esto
eustochium. magna hereditate ditata es.
Pars tua dominus. et quomagis gaudeas. mater
tua longo martyrio coronata est. Non
solum effusio sanguinis in confessione
reputatur. sed deuote quoque mentis ser-
uitus cottidianum martyrium est. Illa corona
de rosis et uiolis texitur. ista de liliis.
Unde et in cantico canticorum describitur.
Fratruelis meus candidus et rubicundus.
et in pace et in bello eadem premia uincentibus
tribuens. Mater inquam tua audiuit
cum abraham. exi de terra tua et de cog-
natione tua. et ueni in terram quam
ostendam tibi. Et per hieremiam dominum preci-
pientem. Fugite de medio babylonis. et sal-
uate animas uestras. Et usque ad diem mortis
sue. non est reuersa in chaldeam. nec ollas
egipti et uirulentias carnium desiderauit.
sed choris comitata uirgineis ciuis est salua-
toris effecta. et de paruula bethleem ce-
lestia regna conscendens. dicit ad ueram
noemi. populus tuus populus meus. deus tuus. deus meus.
Nunc tibi librum ad duas lucubratiun-
culas. eodem quem sustines dolore dictaui.
Nam quotiescumque stilum figere uolui. et
opus exarare promissum. toties obriguerunt
digiti. cecidit manus. sensus elanguit. Unde
et inculta oratio. uotum scribentis. absque ul-
la elegantia. et uerborum lepore testatur.
Vale paula. et cultoris tui ultimam
senectutem orationibus iuua. Fides et operatio
tua. xpo te sociant. Presens facilius quod
postulas impetrabis. Exegi monumentum
ere perennius. quod nulla destruere possit ue-
tustas. Incidi eulogium sepulchro tuo.
quod huic uolumini subdidi. ut quocumque
sermo noster peruenerit. te laudatam. te
in betleem lector agnoscat.

Scipio quam genuit. pauli fudere parentes.
Graccorum soboles. et agamennonis inclita proles.
Hoc iacet in tumulo. paulam dixere priores.
Eustochie genitrix. romani prima senatus.
Pauperiem xpi bethleemitica rura secuta est.
Respicis augustum precisa rupe sepulchrum.
Hospitium paule est. celestia regna tenentis.
Fratrem. cognatos. romam. patriamque relinquens.
Diuitias. sobolem. betleemiti conditur antro.
Hic presepe tuum. xpe. atque hic mistica magi.
Munera portantes. hominique deoque dedere.

140